

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0466

0464

0470

0460

0475

0455

0515

0415

0565

0365

0965

Ende

Anfang

452

frater monachus monasterii et sacrista, nomine Nicodemus,  
ducturus nos in montes sanctos. Recensuit autem peregrinos  
et quemlibet in singulari respexit et quos debiles judicavit,  
nequaquam proficisci nobiscum voluit dicens, viam esse ar-  
duam et sanis gravem. Sic ergo quidam peregrini infirmi  
remanserunt, quidam autem (**b**), licet infirmi essent, omnino  
manere nolebant. Accepimus sacculos nostros cum cibariis  
et flascones cum vino et amphoras cum aqua, quae per bi-  
duum sufficerent, et ea asinariis nostris tradidimus portanda,  
quia parati erant ascendere nobiscum pro nostro servitio. Sic  
ergo nobis dispositis eduxit nos frater Nicodemus de mona-  
sterio per portam, per quam ingressi fueramus, et declinavimus  
ad plagam meridionalem in radice montis sancti Synai et  
Oreb, cui et ipsum monasterium adhaeret. Mons quippe ille  
sanctus est binomius. Dicitur enim a monasterio usque sur-  
sum ad capellam sancti Heliae Synai, et deinde ab illa ca-  
pella usque ad cacumen dicitur Oreb. Et haec duo nomina  
ab effectu sortitur mons ille. Quia enim mandata et praecepta  
sunt ibi data, dicitur Synai, i. e. praeceptum; et quia Domi-  
nus in igne ibi apparuit et mons igneus ac candens et fumans  
fuit, ut habetur Exodi XIX., ideo Oreb vel Choreb, i. e. ar-  
dor, nominatur. Igitur dum ascendere montem sanctum incep-  
imus et cum silentio, timore et devotione subiremus, exortum  
est litigium, clamor et indignatio inter asinarios nostros, qui  
portabant onera nostra, et inter Arabes, qui concomitantur  
nos, et erat litigium pro saccis et oneribus nostris portandis;  
nam Arabes nolebant, quod asinarii nobis servirent, dicentes,  
servitia illa ad eos pertinere, sicut et conductus et pedagia  
deserti dicebant ad se spectare. Conabantur ergo Arabes illi  
onera recipere, et illi nolebant dimittere, ex quo factum fuit  
tantum disturbium, quod nos ipsi accepimus onera et nec istis  
nec illis dimittere volebamus, sed humeris nostris imposuimus  
et conversi in monasterium reverti incepimus, ut cum adjutorio  
Calini et abbatis monasterii et Arabum capitanei pacifice as-  
cendere possemus. Hoc cum vidissent Arabes et asinarii,  
uniti sunt et pacem ac silentium se habituros promiserunt,  
tantum ne in monasterium reverteremur precabantur et reac-  
ceptis oneribus a nobis cum tranquillitate ascendimus.

